

1285, novembre, 13

*Arnaud de Camps i Bernat de Camós, marmessors de Pere de Fontclaro, venen a Berenguer de Terrades, jurista de Girona, un quartó del delme de Vilobí pel preu de 1.500 sous.*

ASD núm. 265, perg. orig., 510 x 245 mm.

Notum sit omnibus quod nos Arnaldus de Campis, clericus clauiger ecclesie Sancti Felicis Gerunde et Bernardus de Camonibus, ciuis Gerunde, manumissores et executores testamenti Petri de Fonteclaro, iurisperiti de eodem loco olim deffuncti, auctoritate nobis data a dicto Petro uendendi et alienandi honores et possessiones feudales que fuerunt ipsius Petri pro soluendis debitibus et restituendis iniuriis ipsius Petri et pro emendis alodiis ad opus elemosine quam ipse in suo testamento fieri mandauit et pro exequenda ultima uoluntate sua tamquam manumissores, et ego dictus Arnaldus tamquam administrator ipsius elemosine, uendimus et cum hoc presenti publico instrumento firmiter omni tempore ualituro liberando tradimus uobis Berengario de Terradis iurisperito de Gerunda et uestris et quibuscumque darè, dimitere, uendere seu quocumque alio modo alienare uolueritis in eternum totum illud quartonum decime panis et uini et aliorum omnium fructuum rerum et bonorum ad dictam decimam spectancium tocius parrochie Sancti Stephani de Uillaubino, sicut melius dictum quartonum decime dictus Petrus de Fonteclaro habebat, tenebat et possidebat tempore quo uiuebat, ut melius et utilius dici, scribi seu intelligi potest ad uestrum uestrorumque comodurri et bonum et sanum intellectum, precio mille et quingentorum solidorum barchinonensium monete de temo, de quibus fatemur et recognoscimus nos a uobis bene et utiliter fore pacatos, et eos mississe et expendisse in iniuriis eiusdem Petri restituendis et debitibus et legatis eiusdem soluendis, prout dictus Petrus per nos hoc fieri mandauit ac in empacionibus alodiorum faciendis ad opus dicte elemosine quam ipse Petrus instituit, renunciando excepcioni non numerate peccunie; et si plus dicto precio ualet hec uendicio uel de cetero plus ualebit, totum illud gratis et ex certa sciencia pro comodo et utilitate bonorum dicti Petri de Fonteclaro condam et pro auxilio et consilio quod nobis in dictis bonis prestitistis et etiam prestatis, donamus, concedimus et remitimus, renunciando expresse illius legis auxilio per quam deceptis ultra dimidiam iusti predi subuenitur et excepcioni doli et metus et accioni in facturo et legi recissorie. Et ideo de nostro et dicti Petri iure, passe et dominio extrahimus et eycimus dictum quartonum decime, eumque in uestrum et quorum uolueritis ius, potestatem et dominium irreuocabiliter transferendo, constituentes nos dictum quartonum decime uestro nomine possidere donec corporalem uacuamque possessionem acceperitis de eodem quam possessionem possitis uestra propria auctoritate accipere, uobis uestrisque perpetuo retinere, dantes et cedentes uobis . et uestris perpetuo in dicto quartono decime omnia iura nostra et loca, uoces et raciones et omnes acciones nostras reales et personales, utiles et directas tam nobis ut manumissoribus quam dicto Petro de Fonteclaro competentes uel competituras, constituentes inde uos procuratorem et

uerum dominum in rem uestram pleno iure ad habendum, tenendum omnique tempore possidendum ad omnes uestras uestrorumque voluntates ibi et inde perpetuo facendas, saluo iure in omnibus et per omnia dominorum. Et non possit uobis dicta decima auferri eo quod non estis miles, neque teneamini prestare aliquem censuro uel seruicium ratione decime supradicte, sine aliquo retentu quem ibi uel inde non facimus, omnibus nostris et dicti Petri uocibus et racionibus inde perpetuo extinctis et penes uos et uestros remanentibus et translatis. Et promitimus presentem uendicionem saluare et dictam decimam semper uobis et uestris facere habere et tenere in sana pace et erimus inde uobis et uestris deffensores et legitimi guirentes contra omnem uiuentem personam. Uerum, si aliqua persona in totum uel in partem predicti quartonis uobis uel uestris tetigerit, contradixerit, forifecerit, inquietauerit, emparauerit siue questionem aliquam uel demandam inde contra uos uel uestros quocumque modo mouerit in iure uel extra uel eciam aliter, nos uel quicumque fuerit administrator dicte elemosine statim satisffaciamus de bonis dicti Petri et respondeamus pro uobis et uestris et ante litis ingressum siue contestacionem litis in nos honus litigii suscipiamus et ducamus causam cum missionibus et expensis bonorum dicti Petri a litis principio usque in finem, aut si uos uel uestri uolueritis, possitis causam siue causas ducere et tractare per uos ipsos, uobis tamen super hoc electione prius seruata, remittendo uobis et uestris ex pacto necessitatem denuntiationis, si in propria persona causam malueritis ducere et tractare, siue per uiam ordinariam siue per formam compromissi uel aliter amicabiliter componendo, quod hoc possitis facere promitendo uobis sentenciam sine placito et difugio reffundere de bonis dicti Petri omnes expensas circa predicta factas et omnia dampna et grauamina et missiones et interesse quod uel quos uos uel uestros pati uel facere modo aliquo oportuerit, siue obtineatis in causa uel composicione uel in compromisso, siue subcumbatis, et quicquid ac quantum a uobis euinceretur quocumque modo et credamini de omnibus, uniuersis et singulis uerbo simplici, sine aliquo sacramento, nullo genere probacionis exacto nec oblacione libelli uel litis contestacione requisita. Et pro hiis omnibus uniuersis et singulis complendis et atendendis ad de firma ac legali euictione obligamus uobis omnia bona mobilia et immobilia que fuerunt predicti Petri de Fonteclaro quecumque sint et ubicumque sint et eius heredem siue aministratorem dicte elemosine; nos tamen pro predicta uendicione non obligamus nec intendimus obligare uobis uel uestris bona nostra propria, set bona tantum que fuerunt dicti Petri de Fonteclaro, nec possitis ad predicta bona nostra habere recursum ratione predicte uendicionis, set uolumus uobis teneri tamquam manumissores dicti Petri, et ego Arnaldus tamquam administrator dicte elemosine.

Actum est hoc idus nouembris anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto.

Sig+num predicti Arnaldi de Campis qui hoc firmo et laudo. Testes huius rei sunt Bernardus Piconi, clericus de Gerunda et Bernardus de Terradis de Occulostricto. Sig+num Bernardi de Camonibus, manumissoris et executoris predicti, qui nono kalendas decembris anno predicto hoc laudo et approbo, presentibus testibus Bernarda de Libiano et Bernarda de Turrucella, filio condam Raimundi de Turrucella, militibus

de Episcopale. Sig+num domine Marchesie, Dei gracia comitisse Impuriarum et uicecomitisse Caprarie, pro qua dictum quartorum decime tenetur, qui hoc firmamus saluo iure nostro in omnibus et per omnia. Ego Poncius Ugo, comes Impuriarum, qui hoc firmo+. Sig(s. man.)num Bernardi de Fontecohoperto, notarius publicus Castilionis, in posse cuius domina Marchesia, Dei gracia comitissa Impuriarum et uicecomitissa Caprarie firmauit et laudauit dictam uendicionem .xv. kalendas iulii anno Domini millesimo .CCLXX. sexto, presentibus Arnaldo de Latraria et Raimundo de Canellis, et predictam firmam eiusdem domine hic apposuit et scripsit mandato eiusdem.

Sig(s. man. )num Petri de Colle, qui mandato Guilielmi Retorte hoc scripsit cum raso et rescripto in nona linea, ubi dicitur "bene" et in .xx. linea, ubi dicitur "fine". (s. man.) Guilielmus Retorta, presbiter et Episcopalis publicus notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 556-559